

pacem etiam internam,

teriora hominis tanquam nobiliora, hoc ipso quidquid ad externa ordinatur, ordinatur etiam cum ipsis externis ad interiora: ut annulus catenæ primus connexus secundo, per secundum connectitur tertio ac denique ultimo.

Alias dicendum, quod non obligent in conscientia:

104. Deinde hoc nihil est aliud quam dicere: Leges civiles tantum spectant pacem externam: ergo per leges civiles licitum est furari clam, occidere clam, limites eruere clam, fraudare tributa clam. Sive leges civiles omnesque humanae non obligant in conscientia, modo nequid externe turbes. Quo constituto nec obligabunt in conscientia iussa quaecunque majorum. Ea vero doctrina si locum nanciscitur, valete Principes, magistratus, respublica valete.

id quod respublicas periculo obijcit;

Cum sit impossibile diu, humano ingenio inobedientiam ex occulto non erumpere finire in apertum, si conscientia cum pace id fieri potest. Nam à metu externo defendere se modis variis pugnabunt & poterunt. Itaque homines de conscientia securi facta manu

irruent in principes & magistratus eosque loco movebunt, tanquam qui ipsi sapere videantur pacis publicae externae turbatores, fuscitatores bellorum, emunctores fortunarum. Videant igitur Principes quam belle decipiantur Juris naturae larvati promissis. Promittunt Principum potestatem infinitam facere, & ejusmodi fundamenta locant, ex quibus proclivis est ad capita illa demetenda accessus. Quis enim ratione sola usus demonstrabit sibi, hunc magistratum sibi esse sequendum etiam cum gravis est fortuna?

Sed pedem aliquando promoveamus ad interiora, quorum nos commonere hi, quamquam aliud spectantes.

**Decima quarta ac Decima quinta Conditio status moderni hominum in Germania.**

105. **E**am sic ante explicavimus. Quod numerata hactenus Juris naturalis adminicula nondum sufficerent ad medendum factis

ri ab externo metu, & conscientia non ligati resistunt magistratibus &c. Tali Jure naturae decipiuntur Principes.

adlecta est à majoribus Religio Christiana,

tis hominum nostrorum miseræ conditioni, adlecta est in subsidium Religio Christiana, oblata Germanis nobis per viros externos, amore boni vere communis ardentibus eoque ardore ad nos adactos, cum primis ex Anglia Scotia, & Francia non sine nutu & cura Romanae sedis Praesulum.

Socrates optavit reipublicae revelationem divinam

106. Socrates ejusque discipulus non ignobilior Plato legum adminicula, nedum solam rationem, insufficientia agnoscentes, praesertim quod in origine justitiam suam sibi rationem mire caligare deprehenderent, unice exoptarunt, ut quis ex divinis personis tandem ad nos descendat, à quo tandem Verum discamus non alia via certo ac indubitato discendum.

Id ipsum necessarium agnovere Majores Germani,

107. Quod tanti Philosophiae Philosophorum moralium Principes & parentes acuto ingenio agnovissent, id majores nostri quamvis doctrinis istis Philosophicis destituti, agnovissent tamen & ipsi. Nam si non existimassent, veram Justitiam doceri denique à persona ali-

qua divina debere, certe non recepissent doctrinam Christianam, quae magnis testibus dicebatur edita fuisse à persona divina, quam Christum vocabant. Sed dixissent, quod obscuri ingenii homines modo dicunt, exempli causa, quod dicit Puffendorfius: Abite vos Scoti, Brittanni, Romani alique

extranei sacerdotes. Affertis doctrinam, quam dicitis à persona divina allatam fuisse, & ex qua veram justitiam discamus. Abite inquam. Habemus justitiam naturalem cujus scopus est pacem reipublicae nostrae, nobis vero commoda hujus vitae tantum comparare. Doctrina hujus personae divinae ad rempublicam nostram non quadrat. Divina est, revelata est, ut dicitis. Non autem ideo quod revelatum est aliquid, est naturaliter justum. Nos naturaliter iusto regimur, à vestra doctrina regi mores, vitamque nostram posse ne speretis. Vos ex miseris & desperatione commodorum hujus vitae profligati scopum vestrum collocastis in bonis futurae vitae, neglecto ac prodito scopo totius nostrae nationis,

novi heterodoxi negant.



nis, hoc est commodis hujus vitæ. Nobis ad vitam juste degendam & ad scopum justitiæ nostræ, hoc est commodorum hujus vitæ, obtinendum sufficit *ratio sola*. Ratio nostra de altera vita futura scit nihil, persuasio- nes quædam populares, & obscura, quæ circumferuntur, conjecturæ rationem nostram non flectunt, apodictice eam vincere necesse est. Apage igitur hanc doctrinam. Ite ad hos miseros, qui scopo justitiæ nostræ seu commodis hujus vitæ exciderunt, ac desperatione coacti alium scopum in nescio qua vita futura sibi confinxerunt.

108. Hanc esse fere Puffendorffii vocem, in *Larva detracta* ostendimus. Neque ab hac dissentit aliorum heterodoxorum Juris naturæ scriptorum sensus.

Sed hi non  
vi obscuro-  
rioris in-  
genii sunt

109. Obscuro autem ab ingenio atque humi decurvato esse profecta hæc talia, tum per se liquet, tum patet ex comparatione cum Socrate & Platone, & maxime cum majoribus nostris: Hos nempe ingenio fuisse excel-

lenti, & prudentia solida, constat ac certum est ipsi etiam Puffendorffio ac ceteris. Hi ergo majores cum in re tanti momenti contraria novis istis, & senserint & fecerint, & posteri adhuc faciant, superest ut horum novorum heterodoxorum ingenium merito nobis obscurum habeatur: neque ipsi, si sapiunt, anteferent semet Socrati, Platoni, totiusque Germaniæ populorum judicio.

110. Quod si ad alios etiam Populi populos advertimus, non Christiani religionem non receperunt, non opinor eam rejecerunt propterea, quod existimarent, eam ad justitiam naturalem, ad mores temperandos, ad gerendam rempublicam non esse idoneam, aut scopi reipublicæ vastatricem: sed aliis causis: vel quod non clare satis eam perciperent, & antiqua suorum doctrina iis propterea præplaceret: vel quod Christianorum legis suæ pro- ditorum malis moribus offenderentur: vel quod illecebris corporis immergi abdicare se illis ducerent molestius.

111. A

Religio  
assumpta  
fuit non  
pro sola  
futura  
vita,

111. A majoribus vero nostris assumpta est Religio Christiana, ut in externa vita ac publice ea nihil ageret nihil juberet, sed ad *solam vitam futuram* pertineret, ex Puffendorffii opinione.

quod esset  
absur-  
dum,

112. Hoc per se multis modis absurdum fuisset, nec tam stultum aliquid opinandum de majoribus nostris aut de Platone est, ut doctrinam à divinis acceptam soli vitæ futuræ servandam reservarent, nunc autem, ea rejecta in angulum, ex suo ingenio viverent. Nam si ad hoc volebat Plato optare doctrinam divinam, ut futuræ tantum viæ serviret, suam autem rempublicam non tangeret, si hoc inquam voluisset optare Plato, voto suo prudentius abstinuisset. Quis enim regulam *huic vitæ* scribens, quod fecit Plato, optat callere & revelari sibi à DEO regulam quæ ad hanc vitam nihil pertineat, sed ad *alteram tantum*? Expectasset Plato annos paucos dum hanc finisset vitam. Nam si sperabat vitam futuram & quidem diversæ ab hac conditionis, debebat etiam sperare, DEUM illi

nec Plato  
ideo eam  
optavit

vitæ proposuisse regulam, quam ibi Plato esset inventurus; quæ cum diversæ etiam rationis regula à regulis nostris esse deberet, stolidè eam Plato optasset nunc ad hoc, ut regulam reipublicæ suæ, quam scribebat, perficeret. Ergo Platoni optata regula divina fuit non alterius tantum sed hujus vitæ causa, non tamen hujus vitæ solius, sed ita, ut hæc vita disponeretur ad alteram vitam rite consequendam.

113. Neque Platone stolidiores fuere majores nostri, cum talem divinam regulam ultro oblatam receperunt. Sed receperunt eam pro hac vita, ut per hanc informarentur ac conducerentur ad futuram: aliter ac Puffendorffius, qui hanc vitam vult geri in commodis, rempublicam administrari non attenda doctrina Christi. Cum autem deposita hæc vita fuerit, tum ipse quoque renidens advolabit ad mensam & gaudia Christi in altera vita (si qua est: nam de hac obscure tantum suspicatur ipse) pleno gutture devoranda.

Nec majores nostri  
ideo susceperunt.

E 3

114. Non



Quia Re-  
gioni  
Primas  
detule-  
runt in  
hujus vi-  
tæ repu-  
blica,

114. Non fuisse autem majores nostros in stolidâ hac opinione, res demonstrat. Reapse enim religioni Christianæ, non qualescunque, in regenda externa republica partes, sed *primas* omnino tribuerunt. Quod qui dubitat, legat Præfationem in Prodromum Codicis Juris Gentium Diplomatici LEIBNITII, viri haud paullo quam Puffendorffius aliique multi doctioris.

cui Prin-  
cipes ca-  
put sub-  
mittunt  
& obedi-  
unt ejus  
ministris

115. Pauca tantum, quæ ante omnium oculos sunt, aspiciamus. Inde ab introducta inter nos Christiana religione Principes nostri, Reges, Imperatores Caput, animumque ipsum submiserunt tum legibus Christi, tum Pontifici maximo: ejus se permifere correctioni, pœnæ infligendæ atque relaxandæ.

Sacerdo-  
tes primi  
in regnis  
comitiis  
&c.

Sacerdotibus primæ in regnis & imperiis, in consiliis & comitiis, in regibus cooptandis, constituendis & inaugurandis concessæ partes & locus.

moderan-  
tur jura-

Ecclesia jurijurando ponit modum. Ecclesia legem po-

nit connubiis, soluta jun-  
git, solvit conjuncta, maxi-  
me Principum summorum.

Ecclesia constituit dies, ferias & quibus vetet colere agros, labores, racemare vineas, cetera laborare.

Ecclesia vetat præliari bella, quibus diebus fas non est, iterumque fas esse jubet.

Ecclesia vetat apponi pastum & mensis dapes quas reprobat. abstin-  
Jubet dimidam fere anni-  
partem jejunio premere cor-  
pus & abstinentia.

Ecclesia vetat certas quas-  
dam Romanas leges servari, viles,  
easque corrigit & abrogat.

Ecclesia reprimit poten-  
tium vi abutentium fastum, vim,  
eos diris devovet, aris,  
templis, sacris interdicit; se-  
feque rursus humiliantes non  
sine castigatione maternum  
in sinum receptat.

Ecclesia inobedientes ma-  
gistratibus populos interdicit,  
ctis coërcet. Magistratus  
quoque jus fas excedentes  
in viam opportune impor-  
tune, mandato Apostoli,  
reducit.

• Ante

fœdera.

Ante hæc tempora nihil fuit frequentius, quam ut Principes & reges in fœderibus pangendis stipulatò Correctioni sacrae sedis Romanæ sese subjicerent, quemadmodum observavit Leibnitijs fœderis tabulas id genus non paucas producens.

Ergo re-  
ligio per-  
tinet ad  
hanc vi-  
tam, ex  
instituto  
Majo-  
rum,

116. Hæc omnia hisque plura ad quamnam fodes vitam pertinent? Ad futuram tantum? nempe ibi matrimonia solventur, ibi lactici- niis ad nutum Pontificis vescemur, ibi arva colemus elysia,

117. At hæc tamen omnia receptane sunt à majoribus?

quos infi-  
pientia  
arguit no-  
vus Puf-  
fendorff-  
fius.

Recepta sane, ringens murmurat Puffendorffius cum ceteris; sed male & insipienter, quia *religio Christiana alium longe scopum habet*, ad alteram tantum vitam pertinet. Rempubicam si attingit eam evertit, eum faciat *monstruosum statum in statu*.

Qui hoc  
ipso sta-  
tum Ger-  
maniæ

118. Non invehor jam in Puffendorffium, tametsi sale perfricari multo commuerit homo tam excors tot-

que egregiis nationibus in-  
mutatum  
jurius Sed hoc mihi, bone vult:  
lector, consideres oro, num  
vere ego constituerim in  
principio hujus commenta-  
rii, Jus naturæ Heterodo-  
xorum tendere ad moder-  
num statum hominum, Ger-  
maniæque nostræ deforman-  
dum in alium, atque adeo  
ad hunc præsentem everten-  
dum, quando *sola ratione*  
justitiam naturalem coli, *sola*  
*ratione* geri rempublicam ju-  
bent, ejecta religione Chri-  
stiana Catholicisque institu-  
tis, rempublicam, ut ipsi  
mentiuntur, intervertenti-  
bus.

119. Igitur *sola ratione* in Sola enim  
Germania deinceps vigente, ratione  
neceffe erit recidere & aver-  
valente  
runcare omnia, quibus ha-  
ctenus nostra respublica re-  
gitur. Primum omnium eji-  
ciendi sacerdotes (Pontifi-  
ces pendente è collo mola  
in tiberim præcipitabimus) in Sibe-  
riam pel-  
lendi  
omnes sacerdotes, invisum  
Puffendorffio ac ceteris ge-  
nus, deportandi in Siberiam  
& Kamtschakos.

120. Concilia, Jura Ca-  
Jus Cano-  
nonica, Patres, Theologos nicum,  
omnes mittemus ad Turcas: Theolo-  
cum



gia &c. tradenda Turcis; quia hæc eorum rempublicam evertent, sine nostra impensa,

quia heterodoxi deinde subigent Galliam,

& Hispaniam, & potentur auro America:

vel subigent Batavos & Insulas Indiae propter commodam hujus vitæ &c.

cum enim hæc nata sint ad evertendam rempublicam in qua recipiuntur, haud alia faciliore opera subruemus grande hoc Imperium Turcarum, quam libris his inutilibus & noxiis exuentes nosmetipsos, & eosdem transmittentes inimicis. Hac præterea œconomia quantum æris, quantum annonæ quantumque Juventutis acerrimæ hætenus bello Turrico consecratum servabimus domi ad augenda nobis hujus vitæ commoda? An potius eodem apparatu bellico, quo ad opprimendos Turcos opus jam non erit, utemur ad debellandum pulcherrimum regnum Galliae, cujus Principes heterodoxis nostris invisi nimium sunt? hac enim devicta Gallia facilis sequetur Hispania, & tum transmissis oceano atlantico aurum ex America argentumque petemus ipsi? Nisi forte præstaret Batavos, parvam manum, subigere, ut potiamur insulis cupediarum & aromatum feracibus, ad commoda vitæ hujus nostræ augenda mire natis. Sed quid hac ambage est opus? Everso Turcarum per libros nostros illuc

missos regno Persia nobis, Indiaeque opes atque seres ultimi patent. Tum vero commodis hujus vitæ circumfluemus toti, & sola ratione his juribus & legibus jam libera beatitatem nostram obtinuerimus, atque præcipue Jus naturæ tot populorum oppressione mirifice excoluerimus!

121. Sacerdotiis librisque ad ea pertinentibus feliciter deletis, in templa, aras & Gazophylacia vertemus manus. *In sacris quid facit aurum? Ut quid perditio hæc! potuit hoc venundari & dari pauperibus Aulæ & nobilitatis?*

122. Quamquam ut fallor ego! Sacerdotiis extinctis respublica nostra ad Commoda hujus vitæ non tantum egregie erit ordinata, sed ipsum hunc suum ultimum finem jam abtinuerit: obstabant enim adhuc sola fere cum appendicibus sacerdotia; quibus remotis subito finis quæsitus adest; commoda hujus vitæ floccorum nivalium in modum totam nostram rempublicam obruent. Et quomodo hic

Tum templa spoliabuntur.

Sacerdotibus delectis jam adest beatitudo Puffendorffiana; quia hi soli obstabant felicitati rei publicæ.

quis-

quisquam sit pauper? aperto nonnisi ore est opus, ut assas coturnices captes.

Leges Romanæ,

ignorantia, passiones, somnus, morbi

jam supra eliminati sunt ex moderno statu, ut Ratio sola regnet:

superfunt dii judices cum auctoritate sua.

123. Nam cetera quidem quæ Juri naturæ ac reipublicæ obstabant, heterodoxorum jussu jam supra eliminavimus, ut ratio sola administret rempublicam, & commoda hujus vitæ queat parturire. Leges dico Romanas cum omni Juris peritorum choro. Adhæc ignorantiam, passionum tumultum, morbos, aëris intemperiem, somnum, vina, uxores, liberos, amicos, subditos, negotia & quidquid solius rationis absoluto principatui occurrere vel incommodare vel hilo posset, omnia procul abjiciemus.

124. Isto defuncti labore corripemus primo judices pedaneos. Ut quid enim hi pepones jubent nos vetantque, & ergastulis concludunt, aut decedere fortunis cogunt? Nostra respublica Ratione sola regitur. At isti præter auctoritatem suam insupportabilem prætendunt nihil. Ratione sola nobis apodictice & methodo scientifica demonstrant, esse

solo cedendum, esse numerandam multam; aut ipsos in malam crucem omnes.

125. Paria dein experientur judices majores, concilia & conciliorum præsides, quorum multo est major in nos auctoritatis arrogantia. Deinceps sciant se nihil auctoritate valituros. Nisi intra trimestre (*tantum enim ad Jus Naturæ ac gentium in universitate heterodoxa discendum erit satis*) didicerint Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam, Logicam, Metaphysicam, Psychometriam, Mathematicam & Philosophiam Practicam universalem, & si qua sunt, quæ non meminimus, alia huc facientia, ut nobis methodo scientifica demonstrant omnia, quæ nobis agenda vitandaque edicunt, consulant culti suæ.

126. Principes vero & Reges quid ab his principiis expectare possint aut debeant, exponere me prohibet tum reverentia, quam meo ingenio iis gero, saniora ab omni retro auctoritate humana maximeque divina edoctus: tum vetat grati animi

nisi didicerint Ontologiam &c.

& ratione sola demonstrant sententias.

Principes non mitius habebuntur.

F

mi



mi pudor, qui, quantum in homines, in civitates, in ordines universos, in me denique ipsum beneficiorum ab his sedibus profluxerit, lubens agnosco & fero in acceptis. Neque ea id perversa ratione facio, quasi heterodoxi, qui ab una manu Principibus licere omnia pro arbitratu volunt nulla nec divina nec humana auctoritate ligandis; ab altera vero manu ejusmodi seminant principia, quæ si usu veniant, exequias ipsas Principum auctoritati sacrosanctæ præparant.

S. Scriptura quid experientur?

127. Ad extremum quid statuemus de sacra Scriptura præ ceteris omnibus ex usu hujus vitæ, hoc est ex *Jure nature* & ex administratione reipublicæ nostræ arcenda? Trademusne illam Judæis, unde eam accepimus? Haud opinor: Quippe hi Testamentum novum, quo præcipue hætenus nitebamur, malignis unguibus excalpent. Neque hoc ipsi probaverint heterodoxi: nam Judæi homines sunt ejusdem nobiscum conditionis, & hæc nobiscum *vita* fruuntur: Scriptura autem hæc

ad hanc vitam non pertinet: Non ergo Judæis convenit seu credere eam & servare, seu custodire.

128. Perdere illam ex integro & è memoria hominum penitus tollere fortasse tutum haud est. Quid enim si hæc scriptura revera DEI vox est? Quidsi revera datur DEUS illius auctor? Quidsi revera datur vita altera, de qua nonnisi tenues suspiciones obortæ sunt Puffendorffio? neutiquam erit tutum in hanc scripturam involare: Si enim datur aliquis DEUS, & si est hujus legis auctor, non est omnino tutum ejus legem proculcare: dicunt enim aliqui, DEUM esse omnipotentem, esse ultorem, esse sui honoris vindicem: qui si vere suspicantur, cavendum nobis saltem ab hoc incommodo est. Pars commodi prima est incommodum vitæ & potentiorum offensionem declinasse. At commoda nobis pro fine ultimo sunt quærenda.

129. Scripturam hanc ad *futuram vitam* pertinere, conveniunt nobiscum Heterodoxi

Non perdetur omnino, quia forte datur DEUS!

& forte est vindex?

id quod horum commodis obesset.

Ergo mittetur in Paradisum

sum pro futura vita.

Viam quærent heterodoxi.

terodoxi Juris naturæ scriptores: & horum quidem aliqui contendunt, pertinere ad eam solam. Superest, ut eadem ad homines in futura vita degentes ita deferatur, ne pereat. Mittamus eam ad Eliam & Enoch qui jam in alia vita morantur, eadem scriptura teste. Qua autem via, quo veredo mittatur, heterodoxorum est excogitare. Cum enim his sola ratio sufficiat ad Jus naturæ & ad rempublicam: ipsorum hæc sufficiens ratio debet tenere viam ad removenda omnia, quæ huic Juri naturæ reipublicæ, & huic vitæ incommoda sunt.

130. Cum autem omnia hætenus numerata volumus auferri, nolumus sane initium tantæ rei à nobis fieri. Equum est, ut qui consulant, omnia præter rationem esse abjicienda, periculum faciant primi in seipsis. Ergo abjiciat primus Heineccius ea omnia, quæ aliorum seu vivorum seu mortuorum magisterio didicit, abjiciat suam Philosophiæ, historiæ, poetarum scientiam: abjiciat Logicam aristotelis, quam conatus est refingere: abjiciat Juris Ro-

mani scientiam, deinde quidquid ex novo veteraque testamento didicerat: quidquid ex parente, ex professore, ex discipulis imo suis, & ex nocturna lampade fuxit, à se abdicet, *sola ratione sibi relicta*. Tum jam prodeat in medium nuda cornicula. Nempe oracula fundet, & ab hoc solo jura naturæ repetent ceteri omnes, omnes auctoritate adhuc excæcati. Ipse solus videbit & pro se & pro omnibus: atque adeo ipse solus ratione sola utens, nostræ saltem necessitati auctoritatem suam *auctoritate regum* de novo statuet.

### Ultima Conditio hominum modernorum.

131. Jam paullo majora ca-  
namus! Priores undecim conditiones conditiones status nostri humani moderni compulere paullatim gentem nostram, ut alias quatuor conditiones sibimet conquirent, aut sponte oblatas amplecterentur velut adminicula ad agnoscendum meliusque exercendum jus naturæ necessaria vel appri-

Majores nostri quæserunt subsidia Rationi